



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Caduca in mundo omnia, cælo perdurante.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

VII

Blandiuntur flores? nullus ultra mensem suum perdurat. Arrident silvæ? exciduntur, aut ventis sternuntur, aut confla- grant, aut senio arescunt. Allicit elegans vultus? Nihil formâ fu- gacius, adeo vt Phaurinus pronunciet: post paucos años, in vi- uente etiamnum Alcibiade, quondam pulcherrimo, ab ijs ipsis, qui eius formam demirati aliàs fuerant, Alcibiadem quæsitum fuisse. Virent prata? flavescent arua? florent vineæ? prata inun- dans fluuius, arua imber, vineas grando destruit. Defendunt te ædes, arces, vrbes? potentem faciunt arma; diuitem rura, feli- cem clara pignora, & penè immortalem multi nepotes? hos omnes mors auferet; rura accidunt alluuiiones; arma hostis. De- nique nulla tam est firma domus, nulla arx tam celsa, nulla tam potens ciuitas, quam terræ motus non possit solo æquare. Hæc vbi conspexeris, aliò oculos conuerte, & disces dicere: *Hæc quam sordet terra, cum cælum aspicio!* Quò nos manuducens D. Chry- sostomus, *Vides cælum hoc, inquit, quam pulchrum, quam am- plium, quam magnificum sit, quemadmodum vario stellarû ordine ex- ornetur, & splendeat, quantum edurare potuerit temporis? Iam enim: quinq; millia annorum, atq; etiam plus seruat, & constat, nec tamè longo temporis spatio effectum est, vt senescat, sed ad modum corporis adolescentis robusti floret, vigetq; etate; & quam principio sortitum est pulchritudinem, eandem integerrimam seruat, nulla ex parte fa- ctum deterius, tanto spatio temporis.* Hæc sedes beatorum nullo motu, nullo attritu, nulla tempestate destruetur. Tanto igitur optabilior est, quanto diuturnior.

Speâculum vnus diei, aliquor horarum conuiuium, sym- phonia breui tempore aures permulcens, magnum quid esse putatur: maius putaretur, si per duos dies, si per mensem, si per annum, duraret. Vni⁹ anni consulatus quanti est à Romanis fa- ctus? longè pluri dictatura per quinquen- nium continuata; aut regnum imperiûm, tota vita, productum. Quanti ergo faci- enda est illa Diuorum sedes, ille honor, ille triumphus & gloria, qui finem nesciet? Si enim filij huius lucis, exiguis istis, & serè momentaneis bonis, sæpe ita capiuntur, vt se capere non possint; quo desiderio exardescere debemus, si bona summa, infinita, sempiterna nobis præparata videamus? In terris, vix acquirimus

L. l. diuitias.

Phaurin:
apud Stobæi
serm. 66.

S. Chrysof:
hom. 2. c. 66.
Anomzoz:

VII